

Leben des Abtes Franz Hertenstein von Ettenheim-Münster.

179

functo inter haec Streiffio, abbatiam recuperavit anno 1646. Sed novus ille abbas Amandus, quod pronum erit cuique suspicari, res monasterii ita invenit attritas, ut de iis restituendis desperans, vix exacto in regimine septennio, pedum abbatiale resignavit, accedente praesertim monachorum suorum, quos paucos numerabat, indole in transversum per duodenne exilium abrepta. Inde, ne monasterium paulo ante magno labore recuperatum nullum haberet rectorem, rerum spiritualium juxta ac temporalium administrator dictus est p. Arbogastus Arnold*. Vir quidem, ut multa condocent, nec litterarum scientia, nec ea, quam civilem vocant, prudentia destitutus, vel sic nihilominus ferendo illi, quod ferendum plane erat, oneri impar. Qua propter monachi salubrioribus acti consiliis de adoptando sibi ex alio monasterio abbate cogitarunt, factoque in piissimum s. Galli principem Pium compromisso, non tam jus, quam preces eidem fecerunt, ut afflictam Ettoniani monasterii sortem miseratus, ipsis unum de suis abbatem daret, virum et litterarum scientia conspicuum et oeconomiae non minus, quam regendarum animarum peritum. Haud passus est, irritum esse Ettonianorum petitum, princeps jam alias de ipsis optime meritus, sed habito mox cum suis consilio, p. Franciscum Hertenstein d. Ettonis abbatem renuntiat, paulo post eo socio p. Conrado Holzapfel profecturum. Factum id die 13. Junii anni 1653. Agebat tum temporis Franciscus noster annum aetatis 43, natus enim erat die 6. Decembris anno 1610, professus ordinem die 10. Martii 1631, sacerdos die 25. Martii 1637. Quis vero quantusque ante suam in d. Ettonis abbatem designationem fuerit Franciscus, deficientibus monumentis durum nobis fuerit edicere**. At quod ante id temporis jam

subdecani munere in principali suo monasterio perfunctus sit, quod ad gravissima negotia transigenda, cujusmodi illud erat, quod anno 1651. Constantiensem episcopum inter et Augiae Divitis monachos Benedictinos componendum fuerat, admotus fuerit, quod jam anno 1646. a sede apostolica plenariorum, quas vocant, indulgentiarum breves pro se sibi primo ac secundo gradu sanguine junctis in mortis articulo obtinuerit, haec satis commonstrant, eum tum jam fuisse virum eximiae spei, quam factus abbas adeo non fefellit, ut et superavit.

2. Monasterii status in ipsius adventu. Igitur Franciscus bono a deo restituendis Ettoniani monasterii rebus destinatus sociis p. Conrado Holzapfel, futuro ibidem priore, et p. Ambrosio Negelin, tum temporis oeconomus Ebringensi*, in hocce suum monasterium pervenit die 7. Julii anno 1653, altero die post die illustrissimo Argentinensis dioecesis vicario generali et reverendissimis abbatibus visitoribus atque conventui Ettoniano illustrissimi principis San-Gallensis nomine¹ a p. Ambrosio Negelin praesentatus et in abbatem inauguratus quidem est. Solemnem autem benedictionem ante diem 6. Junii 1655 consecutus non est, tum aliis causis, tum maxime praegrandi, quae monasterium premebat, rerum omnium angustia ac confusione, praepeditus. Enim vero, ut, quo loco tum res monasterii fuerint, paucis declarem, non modo nullae pecuniae suppetebant, sed et suppellex maxime necessaria desiderabatur, nulla annonae copia, nullus lintheaminum apparatus, nulla lectorum penus, ita, ut novus abbas cum socio p. Conrado alieno uti lecto debuerit, nulli armentorum greges. Contra proventus monasterii, ad 2000. florenos attenuati, aes alienum supra 6000. florenos contractum. Ad haec subditorum ingenium, tum in se mutuo, tum praecique in monasterium ac religiosos exasperatum. His accedebat malum caeterorum omnium facile gravissimum, monachi, quamlibet pauci inveterata exilii labe a se ipsis dissidebant, et alteri a se obtemperare dedocti suoque quisque animo vivere cupiebant. Verbo adeo miseranda undecunque prominebat rerum facies, ut persanandis tot morbis definitus Aesculapius Franciscus noster ex vero pronuntiavit, constantissimum quemvis a se alium ab acceptanda abbacia

nach St. Gallen Cpb. Nr. 329*, welcher in den Zusätzen unten folgt. In dem Protokolle des capitulum triennale der Straßburger Benedictiner-Congregation von 1652 5.—7. Nov. steht art. 13: De d. Amando resignato abbate in Ettenheim-Münster. Ad literas eius, quibus varia a capitulo nostro pro meliore et maiore libertate petebat, haec res dd. visitoribus recommendatur, quos literis itidem datis Ettonianus conventus implovavit pro visitatione sui monasterii. Decernitur die 12 huius mensis (12. Nov. 1652) pro visitatione petita, etc.

* Siehe über denselben in den Zusätzen seinen Bericht über 1653 n. 34 und den syllabus von 1655.

** Der Abt Franz Hertenstein hatte einen Bruder im Kloster Schwarzach, P. Sebastian Hertenstein von Horschach, welcher den 11. Nov. 1676 starb. Gallus Wagner in seiner Chronik, Band 2 p. 1650, sagt von ihm: bonus religiosus admodum devotus b. virginii, excellens musicus, organista et concionator. In seiner Miscellanea unterm 30. Juli 1658 spricht er auch von diesem Sebastian Hertenstein und sagt, daß er schon 10 Jahre das

¹ principis nomine die S.

Wasser in Huppoldsau trinke. Er war also von 1648 an kränklich und war lange vor seinem Bruder Franz in die Ortenau gekommen.

* In Ebringen hatte St. Gallen eine Expositur.